Geo Radcliffe

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

FEBRIBUS INDIÆ OCCIDENTALIS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
FEBRIBUS INDIÆ OCCIDENTALIS:

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS RADCLIFFE STENNETT,

Ex Insula Jamaica;

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISS.
SOCIET. MED. REG. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO HONORANDO

HENRICO COX, ARMIGERO,

ROTUL. CUST. PAROCH. ST. ANNAE,

IN INSULA JAMAICA,

QUO

NEMO INTEGRITATE ATQUE INGENIO CLARIOR,

IN PUBLICO MUNERE FUNGENDO;

NEMO, PROPTER VIRTUTES, AMICIS CARIOR,

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO

SAMUELI BETTON, M. D.

GERMAN-TOWN, IN AMERICA;

QUI

PRIVATIS VIRTUTIBUS ADORNATUS

AMICORUM CONCILIAVIT AMOREM;

QUIQUE

MEDENDI DISCIPLINA INSTRUCTUS,

APUD OMNES,

FAMAM PERITI MEDICI MERUIT;

HOCCE OPUSCULUM,

PARVUM, SED SINCERUM, AMICITIÆ MONUMENTUM,

DEDICAT

AUCTOR.

VIRO DOCTISSIMO

THOMÆ JEFFREYS, M. D.

LIVERPOOLENSI;

MORUM COMITATE ATQUE URBANITATE,

AEQUE AC,

IN MEDENDI ARTE, PERITIA

CONSPICUO;

HASCE PAGINAS,

EXIGUUM SUMMAE OBSERVANTIAE TESTIMONIUM

CONSECRAT

AUCTOR.

AMICO SUO CARISSIMO

JOANNI HIGGINBOTTOM,

IN INSULA JAMAICA,

VIRO

INTEGRAE FAMAE INGENUAEQUE VIRTUTIS

HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM

MERITUM AMICITIAE TESTIMONIUM

INSCRIBIT

G. R. S.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

FEBRIBUS INDIÆ OCCIDENTALIS.

GEORGIO R. STENNETT, AUCTORE.

Si ex annalibus medicinae, morbum, ob exitum suum saepe lethalem, cura et investigatione dignum eligere vellemus, pauci supradictis attentionem sibi potius vindicarent. Quot millia nostratium febribus istis succubuere! Exemplar fatale antecessorum parum obstat quin alii etiam divitiarum cupidine accensi, et effectuum regionis tropicae tristium immemores patriam, propinquos, et amicos relinquant: Spes laeta urget, atque cladem circa instantem "oculis irretortis" aspicere cogit.

Medicorum est, igitur, earum causas inspicere; actiones prohibere, atque effectus temperare.

Febres quibus in India Occidentali, Europaei objiciuntur, sunt, Flava, Remittens, et Intermittens; et quanquam consiliis medicinae inserviat eas seorsim proponere, nihilominus, quod naturam earum spectat, illae duae priores praesertim varietates fere nimirum febris ejusdem inter se vinculo arctissimo necti videntur. Nexus earum arctus ex hoc patet, quòd, scilicet saepe in se invicem transeant: Symptomata quoque similia sunt, et vehementiae gradu tantum discrepant. Forma enim prior seu saevior velocitèr cursum suum cum actione inflammatoriâ vehementissimâ, et plerumque in stadiis prioribus sine ulla remissione peragit; dum forma mitior paulatim incedit; cuncta indicia leniora sunt atque facilius subiguntur. Hae varietates extremae cum aliis intercedentibus semper, quum Febris Endemicè grassatur, conspiciendae sunt; quaeque enim forma ab habitu corporis aegroti

pendet, necnon a modo medendi; namque haud raró remedia tempestiva et prompta vel morbum praecidunt vel formam saeviorem in mitem remittentem, permutant.

Primae speciei hujus febris varia nomina imposita sunt, plerumque ab indicio quodam deducta, flavedine nimirum corporis, quae tamen non semper adest. Vocabula "Febris "Flava" et "Typhus Icterodes" ideo parum idonea sunt; posterius nomen quoque errorem de typo febris proponit; namque jam Febris inflammatoria, et nequaquam Typho affinis, habetur. Nomen illud simplex febris, scilicet Indiae Occidentalis mihi magis ideonem videtur; et huic capiti generali, duas species, Febrem Flavam, atque Remittentem, refero.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Hae sunt, corporis conditio plenior, cum fibrae densitate, et proclivitate ad actionem vehementèr inflammatoriam suscipiendam;

atque prout hae causae in hoc vel illo valeant, eo vehementiora aut mitiora symptomata aggredientur. In Europeao juveni, pleno et robusto nuper advecto, forma saevissima sese prodet; dum in habitu debiliori atque laxiori indicia leniora erunt, ac faciliùs subigentur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causæ quae hoc malum excitant, in regionibus tropicis eaedem sunt ac eae quae alibi operantur; veluti frigus corpori aestuanti subito admotum; defatigatio; calor corpori diu appositus; effluvia e rebus vegetabilibus putridis orta; status organorum cibi concoctioni inserventium turbatus; constipatio; haec omnia Febrem excitare possunt: aliud autem est de quo inter medicos multum disputatum fuit, effectus, videlicet, contagii. Hanc febrem a contagio oriri posse scriptores multi dicunt, haud pauciores obnegant. Hodie plerique opinioni de contagio uti causâ excitante adversantur. Praejudi-

cium vetus in India Occidentali ei favens jam fere interiit, atque in Columbia pauci opinionem veterem tuentur.

DE INDICIIS.

Nulla febris adeo ac haec variat, vel quod ad modum invadendi, vel symptomata ipsa attinet. Nonnunquam paulatim accedit; aliquando e contrario aeger syncope corripitur, nullo signo alio praegresso. Plerumque tamen per horas vel etiam dies aliquot, quidam sensus molesti percipiuntur, qui parum incertè impetum propinquum praenunciant; multique homines, si ad hos maturius respicerent, effugere possent.

Anorexia; sapor oris amarus; lassitudo; flavedo oculorum levis; et dolor in fronte obtusus signa sunt, quae vulgo dies aliquot ante adesse soleant; saepe tamen parum annotantur, nisi quum interrogationibus medici in memoriam revocentur.

Indicium, quod plerumque primum timorem aegro affert, proclivitas est ad animi deliquium post quamvis exercitationem; haec cum rigoribus dorsique dolore, stadium primum constituere dicatur. Hujus diuturnitas brevis est, atque renixus qui subsequitur stadium secundum sive inflammatorium incipit. Hìc calor augetur; facies rubore suffunditur, magnus dolor lumborum instat; pulsus citò crebrior atque plenus evadit; dolor capitis immanis et pulsans fit; spiritus festinatur: cutis arida est, et calorem pungentem sentit; nausea dolorque in ventriculo urgent. Lingua alba est, sordibusque oneratur; oculi sanguine prorsus suffusi adparent; impatientia lucis adest. Prout hoc stadium progreditur, symptomata magis magisque urgent; vomitus fellis cum dolore ventriculi aucto accedit. Oculi jam ob bilis suffusionem flavescunt; corpus totum quoque saepissimè colore luteo tingitur; stercora nigra et foetida sunt, atque picem referunt: Vires multum collabuntur; delirium premit. Haec signa stadium excitationis efficiunt; quae nisi compescantur, viam sternunt

tertio stadio, unde perpauci profecto sanitatem recipiunt: In hoc morbi tempore, vires naturae exhaustae videntur ob actionem praegressam immodicam: Pulsus debilis evadit; vomitus perpetuus materiae faecibus coffaeae similis, quae sanguis venosus e vasis ventriculi atque intestinorum effusus esse videtur, urget: Animi deliquium saepe premit, cui sudores frigidi et glutinosi succedunt: Indicia ista, cum singultu, comate, sanguinis profluviis e naribus et ore, mortem in propinquo esse denunciant.

Talia symptomata sese in forma hujus Febris graviori produnt, unde lucide constat, eventum felicem a remediis tempestivis et strenuis solis sperari posse.

In specie mitiori indicia semper gradatim invadunt; decursum neque adeo brevem, neque adeo vehementem peragunt, atque remissiones evidenter conspiciendae sunt, quae tamen multum variant, quoniam in nonnullis spectantur modo, in aliis contra notabiles

sunt, atque per horas aliquot perstant; et quo insigniores remissiones fuerint, eo faciliora tractatu indicia erunt. Aliquando forma gravior et continua in remittentem, et, vice versâ haec in illam transit.

QUÆ, CADAVERE INCISO, CONSPICIUNTUR.

Haec haud alia sunt quam quae a priori praesagire liceret. In cerebro congestio magna sanguinis, interdum effusio observatur: Ventriculus notas inflammationis inordinatae ac recentis exhibet, cum maculis, ut videtur, gangraenosis in superficie sua internâ; materia nigra vulgo refertus invenitur; intestina eadem aut similia ostendunt. Hepar aliquando ampliatum ac induratum recluditur, sed saepissimè contractum, flaccidum, laceratu facile, et pallidum conspicitur. Bilis vesica ductusque felle nigro et viscido onerantur.

Ex his, quae ita spectantur, atque e symp-

tomatis rite perspectis ad indicationes curatorias perducimur.

DE CURATIONE.

MEDENDI rationes ab auctoribus diversae propositae sunt. Nonnulli depletionem suasere, alii autem stimulantem medicinam, inculcant; dum alii demum hydrargyro soli in constitutionem ingesto confidunt.

Quanquam cuique ex his rationibus aliquod objici queat, et quanquam omnes singulae in exemplis singulis proficere possint; attamen ob species diversas morbi constat, nullam rationem sive seriem eventuum semper eandem subsecutaram esse: sed quamque rationem symptomatis deinceps singulis uti sese produnt accommodando, indiciaque diversa et mutationes adnotando, ita ut remedia si opus fuerit, permutemus, solùm in hac febre curanda felicem exitum sperare licebit.

In stadio primo, antequam actio inflammatoria inceperit, emeticum exhibitum, deinde quodvis catharticum acre, atque portiones aliquot pulveris antimonialis saepe morbum omninò praecident, vel saltem in formam mitiorem permutabunt. Quando tamen actio inflammatoria jam insedit, organa vitalia in discrimine sunt, atque ea a periculo imminente incolumia praestare, consilium praecipuum esse debet. Ad hoc, venaesectio remedium promptissimum atque strenuissimum est, et quamdiu symptomata postulant, eam, non manu tremente, nec ea phantasmata, debilitatem et putrescentiam in acie adversus nos, instructa cogitantes, adhibere oportet; sed sanguinem detrahere necesse est, donec effectus notabilis ejus usu inducatur; sic enim adeo non debilitatem veram arcessemus, ut revera contra ejus causam, actionem, scilicet, organorum vitalium nimiam, atque debilitatem quam timemus ipsam, amoverimus. Pèriculo instante ita submoto, deinde ad indicia localia respicere oportet. Ventriculi mobilitas perpetuo

comitatur et quanquam saepe sanguinis detractione praesertim tempestivè adhibitâ sublevetur, tamen aliquando importuna manet, ac usum purgantium quae adeo postulantur, prohibet. Multa medicamenta internè exhibenda ad hanc irritabilitatem tollendam laudata sunt, opium maxime, sed plerumque nocent; sinapismus aut emplastrum vesicatorium epigastrio appositum, magis proderit; pediluvium item utile est; enema purgans nunquam negligendum est; multùm ad supradictum symptoma amovendum valet; atque intestina crassa faecibus ibi saepe coacervatis exonerando, atque ea pariter ac intestina tenuia e conditione eorum inerti suscitando, purgantibus utilitèr auxiliatur.

Quamprimum ventriculus tranquillus videatur, ad functionem sanam jecinoris ac intestinorum restituendam elaborare debemus: hinc purgantia utilissima fiunt; summa cura tamen quomodo ea exhibeamus cavendum est, ne ventriculo irritationem afferamus.

Quamobrem hydrargyri submurias anteponendus est, tanta copia ingestus ut intestina afficiat. Duodecim aut quindecim hujus medicamenti grana sub formâ pilularum plerumque in ventriculo manebunt cum omnia praeterea rejicerentur. Post breve intervallum alia purgantia exhibere licebit. Pilulae, ex calomelane, scammonio, extracto cathartico, cum parvis portionibus ipecacuanhae, compositae multùm prosunt. Dejectiones primo nigrae erunt et viscidi pici similes; sed in exemplis felicitèr desituris paulatim colorem naturalem recipient; et deinde solutio sulphatis magnesiae in infuso sennae per parvas copias atque per intervalla adeo praecipiatur, ut actionem intestinorum regularem praestet; nisi hoc efficiatur, turbatio cito redit, cunctaque symptomata infesta redintegrantur, atque in pejus ruunt. Adeo in hac febre conditio intestinorum valet, ut, stercore explorato haud malè statum febricitantis cognoscere possimus.

Dolor capitis immanis saepe postquam actio vasorum immodica fuerit subacta perstat;

pannus frigidus et madidus capiti perpetuò appositus saepe ad hunc sublevandum sufficit; sed vesicatorium occipiti et nuchae admotum necessarium fiat, humorisque profluvium inde sustinendum erit.

Sitis importuna raro abest; natura tamen instinctu quodam praesidium optimum edocere videtur; etiamsi praejudicium stultum rationique parum consentaneum ejus usum aliquando vetat; rogatio aquae frigidae in hac febre indicium fere diagnosticum est; nulla potio, nullum nectar, febricitantem hoc fluido simplici magis arridet, neque ullus potus adeo gratus, aut effectu utilis; quando enim aeger calens atque inquies de siti ardenti conqueritur, haustus pleni aquae frigidae effectus medicamenti cujusvis beneficio longe praestabunt: Sitim sedat, calorem corporis temperat; ex ejus usu cutis solvitur, diaphoresis naturalis erumpit, totum corpus per consensum afficitur, et quietum evadit, somnusque reficiens subsequitur, qui vires naturae fere exhaustas reficit.

In calore minuendo et cute solvenda affusio frigida plurimum pollet; quando corporis calor praeter naturam est, succus citri et aqua frigida corpori perpetuo per spongias illita effectum gratissimum atque utilissimum praestant. Praeparata ex antimonio quoque laudibus elata sunt, sed plerumque irritabilitatem ventriculi cient; haustus aquae frigidae aut affusio ejusdem medicamentis quibusvis praestat. Sicubi remedia tempestive adhibita fuere, indicia imminuta fore sperare fas est.

Actio arteriarum vehemens subigetur; ventriculi mobilitas pacabitur; dejectiones liquidae ac coloris naturalis erunt. Talibus in exemplis aegroti saepe cito convalescunt; interdum autem febris sub forma remittentis praestat; cujus quidem curatio nonnihil variari postulat. In forma priori, remissiones nullae conspici poterant; jam vero post horas vicenas quaternas una accedet. Quum haec notabilis est, ea remedia exhibere oportet, quae paroxysmi reditum optime prohibeant. Ad hoc cin-

chona multum laudata est; sed in substantia, ventriculo et intestinis male convenit; quibus si turbationem afferat, signa infausta redibunt. Solutio arsenicalis cum amaris composita multo meliùs convenit. Fere nunquam non reditum paroxysmi prohibet: Sulphas Quininae item multum profuturus esse videtur: Haec autem medicamenta nunquam exhibere licet, nisi conditio intestinorum sana fuerit. Inter remissionem gestatio in curru cum loci mutatione, praesertim si situs magis frigidulus, ac salubris in propinquo sit, haud parum prosunt. Scenae mutatio multum confert ad aegros ab isto torpore ac inertia animi suscitandos, in qua nimis saepe incidunt.

Si Febris reditura ita prohibeatur, sanitas vulgo citissime recipitur, sed dum convalescit aeger, ad statum alvi summa cura respicere oportet; si opus fuerit, cochleare minimum sulphatis magnesiae in amara infusione optimum praesidium erit. Diaeta quoque accuratissime instrui debet; appetitus enim ingens fit, cui si indulgeatur, malum quodvis subse-

qui queat. Ne morbus redeat, causis omnibus excitantibus evitatis cavendum est, hic enim redux plerisque lethalis evenit.

Hi sunt hujus febris exitus felices; aliquando tamen accidit, ut quaecumque fuerint conamina nostra, indicia subigi negent atque eventus infaustus praesagiatur. Rebus se ita habentibus ad aliam medendi rationem quae a quibusdam auctoribus omnibus in exemplis praestantissima habetur, confugere licet: Hydrargyrum videlicet, ita exhibitum ut constitutionem afficiat. Quam primum hoc constitutionem imbuit, actio febrilis desinere dicitur; etiamsi hoc de actione ejus specifica verum fuerit, multum est rationis cur id medicamentum temere ac inconsultè exhibere minime fas sit.

Tantam vim hydrargyri effectibus obsistendi constitutio adipiscitur, ut nulla copia aliquando eam afficere possit; ei igitur nequaquam certe confidendum est; saepe quoque remedium dum solicite ingerimus ejusque effectum opperimur, subita salivatio accedit,

cujus actionem nimiam temperare nequimus, et cui complures devicti succumbunt. Quantumcunque huic medicamento per se et in exemplis omnibus usurpato objiciatur, attamen saepe summum beneficium confert si modo perite adhibeatur.

Postquam actio vehemens inflammatoria subacta fuit, ejusque cursûs velocitas impedita, actio febrilis, etsi temperata, adhuc tamen perstare queat; quum res se ita habent, Hydrargyrum summum beneficium praestabit, facile immittetur, effectusque custodiri ac dirigi poterunt. Necnon ubi jecinoris morbus subesse videtur, hoc medicamen postulatur. Nonnunquam porro accidit, ut medicus ad aegrum haud arcessatur, usquedum stadium secundum peractum est, atque signa virium fractarum sese ostendunt. Hìc ad hydrargyri unguentum infricandum cum usu stimulantium interno, solum confugere licebit; et ubi ventriculus sinit, hydrargyrum cum opio conjunctum per magnas portiones praecipiatur. Si stadium ultimum subiturum esse vi-

detur, copiae magnae spiritûs vini Gallici ingerendae sunt, itemque acida mineralia diluta cum infuso cinchonae amaris et aromatis experimentum merentur. Quamvis perpauci sese ex stadio ultimo recipiant, minime tamen remedia omittenda sunt, quoniam nonnulli praeter spem omnem, etiam postquam vomitus niger incesserat, miro modo convaluere.

Febris adhuc superest, intermittens nimirum, cui Europaei in India Occidentali obnoxii sunt. Dum species duae priores potius nuper advenas aggreditur, intermittens eos maxime corripit, qui in ea regione aliquamdiu habitârunt, et quorum constitutio actionem vehementem primae Febris formae suscipere nequire videtur. Quum tales homines causis excitantibus objiciuntur, forma mitior febris simplicis sive intermittentis sese prodit.

Intermittentes saepissime aëris mutationi et cinchonae in substantia per intervalla datae, bene cedunt; solutio arsenicalis magis valet; atque nuperius sulphas quininae cum

optimo eventu tentatus est ; quoniam profuit, quando alia remedia cuncta spem fefellerant.

Quum Febris intermittens per menses aliquot perstitit, solitisque medendi rationibus inexpugnabilis, obstitit, hydrargyri exhibitio alterativa profecit; hanc semper, ubi jecur morbosum esse creditur, experiri oportet. Quia nil proprium est febribus intermittentibus regionum calidarum parum de iis proposui.

Quum jam ita decursum febrium graviorum Indiae Occidentalis, cum curatione maxime profuturâ persequi conatus sim, nihil nunc restat, nisi ut pauca de optima prophylaxi proponam.

Si advena habitus corporis plenioris sit, curâ magnâ per menses priores praecipue, opus erit. Locum habitandi si fieri potest, per hebdomadas saltem aliquot, frigidulum ac salubrem eligere debet. Diaeta ex rebus vegetabilibus cum aqua pro potu sumenda est. Quodvis medicamentum aperiens et si-

mul refrigerans subinde ingestum, et exercitatio modica matutina et vespertina quotidie optimam rationem praestant constitutionem assuefaciendi, adeo ut effectus causarum excitantium vel omnino effugiat, vel saltem gradu mitiore patiatur. Indusium laneum cuti proximum, necnon vestes laneae utilitatem haud exiguam praebent. Si symptomata vel levissima turbationis sentiuntur, ad remedia strenua statim confugere oportet, quippe quae saepe impetum advenientem arceant.

FINIS.